

C O N C I L I I C O N S T A N T I E N S I S

deliberationem dicta synodus sibi retinet faciendam quando sibi uisum fuerit op^{er} D
portunum. Qua lecta idem dñs præsidents pro toto concilio respondit, placet. Et
quod uox præsidentis sit uox totius concilij, quando primo de consensu omnium na-
tionum constituitur. Nanque propter discordiam nationum Hispanicæ & Anglicanæ
qua prior responderet pro toto concilio, placet, & de alij prærogatiuis fuit per na-
tiones & cardinales ordinatum, quod præsidents responderet pro toto concilio, pla-
cer. Et ad hoc super quolibet actu fiendo haberet consensem cardinalium, & schedu-
lam illius actus signatam per notarios nationum, & cōferret cum lectura qua fieret.

S E S S I O T R I G E S I M A , I N Q V A C O N-
ciliū approbat subtractionem obedientiæ factam per regem
Aragonum ipsi Petro de Luna.

II, Antonius

Lucr. 15.2

DIE MER C V R II decima supradicti mensis Martij, fuit sessio generalis in maiori ecclesiâ Constantiensi solenniter celebrata. In qua quidem festi-
one reuerendus pater dominus Stephanus episcopus Cephaludensis of-
ficium missæ de spiritu sancto deuote decantauit, & reuerendissimus in
CHRISTO pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis sanctæ Romanæ ecclesiæ
cardinalis & uice cancellarius huiusmodi sessioni præsedidit. Interfuit etiam serenissi-
mus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariae rex cum sibimul
tis astantibus principibus. Et lectis letanijs ac alij deuotis orationibus cū euangeliō.
Dixit IESVS discipulis suis, Quoniam oportet semper orare, & non deficere,
&c. nuncij & oratores concilij, qui fuerant per concilium ad hoc destinati, fecerunt
relationem per organum domini Bernardi de Plana decretorum doctoris, quomodo
in castro Panistole Dertusensis dioecesis cum fauore & auxilio illustrissimi prin-
cipis domini Alphonsi regis Aragonum fuerant, & Petrus de Luna Benedictum de
cimum interium in sua obedientia nuncupatum, in propria persona apprehenderant,
ac quod ipsum citauerant iuxta formam & tenorem citator hab ipso concilio decre-
ti. Ipseq; Petrus de Luna responsum dederat, prout hæc & alia in ipsis instrumen-
tis per dictum dominum Bernardum exhibitis, ac de uerbo ad uerbi perlectis, ple-
nius continentur. Promotores uero concilij petierunt apud acta registrari, post hæc
autem uenerabilis uir dominus Petrus de Lompurga in decretis licet iustatus, quandam
decreti schedulam perlegit tenoris subsequentis.

Concilium approbat subtractionem obedientiæ
factam per regem Aragonum.

F

Sacrosancta Constantiensis synodus generalis in spiritu sancto legitime congre-
gata. Quoniam inter alia uirtuosa & laude digna, qua pia memoriam quandam
Ferdinandus rex Aragonum & Siciliæ pro extirpatione execrandi schismatis, quod
ab octo fere lustri citra non permisit ecclesiā catholicā sub unico gubernari pa-
store, dinoscitur peregisse ordinationem quandam aduersus idem schisma, & pro
unione ecclesiæ catholicæ felicius consequenda eum promulgasse cognouimus, ea-
dem sacrosancta synodus Constantiensis causis & motiuis in prefata ordinatione
expressis, plene inspectis & diligenter examinatis, de quorum ueritate facta exitit ei-
dē synodo plena fides, & attento precipue tunc atque nunc uniuersalis ecclesiæ statu,
& quod sine regia prouisione prefata per perpetuā schismatis imminebat & immi-
neret periculum, ac præstabatur & præstaretur sacro præfato concilio, & consequen-
ter unioni ecclesiæ periculum manifestum, eo præserit quod idem dominus Be-
neditus sic in sua obedientia nominatus, conabatur per sibi adhibitam obedientiam,
iam dictum prius cōcilium multipliciter impedit, & impediuit se de facto, si man-
datis